Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1859
Quelle:
Copyright:

XXIII. *fol.* 208. *Wittebergensis* Academiae Testimonium de Moribus et Literis a. 1543. 15. *Octobr.* datum *Hieronymo Noppio*, dum ad ministerium Ecclesiae *Ratisbon.* evocaretur. Inter alia mirum commendationis genus: *Quanquam autem, ut natura eius est capax omnium artium, magnam et foeliciter didicerit philosophię partem, attamen quia vere et toto pectore sentit humanum genus non esse casu ortum, sed a Deo conditum* &c. Acsi aliud doceret sana Philosophia.

XXIV. *fol.* 210. *Hier. Noppii* Epistola ad Amicum, qua Vaticinia quaedam Apocalyptica exponit, numerumque Bestiae videlicet DCLXVI. in Pontificis Rom. nomine reperit. Additur Epistolae Crisis Libelli *Lipsiensis*, quo contendebatur: Αδιαφορα recte institui posse in Ecclesiis, nec posse Ministros Ecclesias suas potius deserere, quam ea recipere.

XXV. *fol.* 222. Alia Ejusdem Epistola ad Amicum, qua respondetur ad binas Quaestiones: I. an in defectu Ministri Protestantis Baptismus possit peti a Catholico? II. an eadem sit S. Caenae ratio? Primum adfirmatur, negatur alterum. Dein judicium fertur de *Joh. Pfeffingeri* Libello et aliis, quae ad sic dictum *Interim adiaphoristicum Lipsiense* pertinent. Finis: *Noui nunc nihil hic habemus, nisi quod narrant Marchionem Albertum* (IV. Brandeb.) *auxilio profectum Duci Mauritio* (Sax.) *cum quadringentis equitibus. Bene vale cum familia et amicis omnibus. E Patria* (qua?) *postridie Nonas aprilis. Anno incarnationis dominicæ. 1551.*

XXVI. *fol.* 233. Ejusdem *Juditium de Adiaphoris.* Epistola est, quae infit: *Scripsi semel atque iterum congruere, vt sua iudicia fideles per verbum dei confirment* &c. Contendit *Noppius: potuisse Adiaphora isto tempore et isto rerum statu recte institui et fieri eorum in templis mutatio, si*, ut ait, *qualis debuit, addita fuisset confessio.* Notae chronologicae desunt. En itaque plura ad *Hier. Noppii* res facientia in hoc *Codice*, quem Virum *Joecheri Lexicon* omisit, *Universale Lipsiense* obiter adtigit.

XXVII. *fol.* 240. *Epistola N. Ga. ad E. Elonem. Nicolaum Gallum Cothenum* puta, qui cum aliis Ministris *Ratisbon.* ob *Interim* stationem deseruit a 1548. cujus consilii eum in his Literis poenitet, quod fortassis martyrium, *rubrum pileum Euangelici doctoratus*, neglexisset, quem *honorem toties frustra ambijt sanctiss. ac fideliss. in opere domini propheta germaniæ Lutherus;* Verum solatur se *Athanasii* exemplo. Formulam *Interim* adpellat *Idolum Caesaris*, non minus *Lipsico Decreto* infensus. Initium: *Quod nihil hactenus ad te literarum dedi Reuerende Vir* &c. Ad calcem: 8. *Augusti 1550. Magdeburgo*, ut videtur.

XXVIII.